Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-680173-p0001-5

Occasionalia
potissimum Carmina
vol. 27
P – V

VI-183
VI-183.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-680173-p0002-1

83

# APPLAUSUS ONOMASTICI,

Qvos

Auſpicatiſſimo Nominali

## VIRI

*Summe Reverendi, Magnifici atqve Excellentiſſimi*

# DN. CHRISTOPHORI SCHRADERI,

SS. Theol. Doct. celeberrimi, & in Proto-Synedrio Electorali Senatoris graviſſimi, Eccleſiæ Dreſdenſis Paſtoris, vicinarumqve Ephori vigilantiſſimi, Scholæ Crucianæ Inſpectoris primarii,

*Idibus Martiis M DCCI.*

Inter bonorum omnium gratulationes ſolenniter celebrato devoto animi cultu conſecrabant

*Cruciani Dreſdenſis Præceptores, & nonnulli Superioris Auditorii Cives ac Alumni.*

*DRESDÆ,*

Imprimebat JOHANNES RIDELIUS, Typograph. Aulic.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-680173-p0003-6

ILla & benigno ſidere Saxonum
Lux riſit Halæ, luminis aureas
Matre SCHRADERE qvæ cadentem
Te puerum tetulit ſub auras;

Et qvæ venuſtum CHRISTOPHORI dedit
Nomen, ſecuti ſic qvaſi præſcia
Honoris, olim Te celebrem
χριστοφόρον populo futurum.

O grata lux! Te ſplendida adorea
Ad poſterorum tempora transvehet,
Si noſtra qvid potis Camena,
Debitus obſeqviiqve cultus.

Ito! redito ſæpius! integræ
Felicitatis blandula gratia
Te ſubſeqvatur, & clientum
Inter agas Tua feſta plauſus!

*Pietas in Max. Rev. & Magnif.*
*Dn. Ephorum*
*Jonæ Gelenii, Rect.*

---

*SUmma mei voti eſt, ſospes vel Neſtoris annos*
*Sic templo vivas, incolumisq; ſcholæ.*

M. Joh. Valent. Merbitz,
ConR.

CHRI-

## CHRISTOPHORUS SCHRADERUS,
### THEOLOGIÆ DOCTOR AC SUPERINTENDENS.

ἐν ἀναγραμματισμῷ:

EN IN SECLO HOC A CHRISTO SPE SATUR PROTEGOR;
HUIC THUS ARDENS REDDO.

* * *

EVohe! Succeſſus Superi ſucceſſibus addunt,
Et tua, MÆCENAS, jubila continuant.
Decedente gelu, TIBI dum gratâ vice veris
CHRISTOPHORI rurſus gaudia feſta micant.
Hanc igitur lucem, ceu nominis annuit omen,
Fronte ſerenatâ TE celebrâſſe juvet.
Non temerè eſt; annis vitæ feliciter annos
Accenſere, jugi lætitiâqve frui.
Cœlitùs hoc datur: Hinc fluit omnis copia ubiqve,
Nec TIBI fas ullas eſt timuiſſe vices.
Invida namqve licèt, tetrô livente venenô,
Secli hujus rabies omnia ſumma petat;
Omnia ſalva tamen TIBI ſunt, TIBI nil nocet unqvam,
Dum defixa DEO mens tua tota viget. (inqvis,
PROTEGOR IN SECLO HOC A CHRISTO EN SPE SATUR,
THUS & HUIC ARDENS REDDO piasqve preces,
Qvæ rata perpetuô TIBI ſors ſit, & hicce qvotannis
Proſperiùs redeat, fac, bone CHRISTE, dies!

*Pietatis ac obſeqvii teſtandi cauſâ gratulab: ſcrib:*

M. Johannes Frentzel/
Cruc. Coll. Tertius.

QVi credit JOVÆ, totusqve ardenter adhæret,
Vivet, & æternâ morte perire neqvit.
Pectore qvam methodum gratô reputâſſe juvabit
Omnes, qvos ſanctè, *Magne Patrone*, doces.
Ferrea vox ergo, qvæ non pia vota ſonaret,
CHRISTOPHORI qvando fata benigna vides.
Incolumisqvòd ſis, vivas vigeasqve precamur
Corporis atqve animæ proſperitate diu!
Omnes gaudemus! TE nunc pia vota manebunt,
Atqve vehent laudes carmina noſtra tuas!

*Ita brevibus obſervantiam ſuam prolixiſſimam teſtatur*

*Baſilius* Petritz/ *Cantor.*

CHRI---ſte, ſalus hominum, Jeſu, fortiſſima turris,
STO---ſupplex optans. EPHORUM tege Flamine ſanctô,
PHO---ſphori ut ê cœlô Spargat ſacra ſemina verbi,
RUS---qvè animæ ſit ut USqve ferax fidei, utqve ſalute
SCHRADERUS DOCTOR, DOMUS EJUSDEMQ; VIGESCANT!

*Submiſſæ Obſervantiæ teſtandæ ergò*
*f.*
Georgius Heinricus Mahler/
Schol. Cruc. Colleg. V.

HEliconia turba Minervæ
Jam fundit carmina culta,
Qvoniam Pallantidos ortus
Celebrat feſtum geniale,
Qvod vim Natalis adimplet
SCHRADERI, dulcis Epoptæ.
Pietas hoc poſcit & à me,
Hodie bona dicere verba.
Devotus comprecor ergo:
*Vivas in Neſtoris annos,*
*Templiq; Scholæq; columna!*
*Alacris lætusq; per ævum*
*Videas Onomaſma redire!*
*Felix in munere ſancto*
*Vigeas: tandemq; capeſſas,*
*DOCTOR, diademata cœli!*

Ita Onomaſticon Magnif. Dn. Ephori
celebraturus vovet
*Joh. Zacharias* Brundig/
*Schol. Cruc. Colleg. VI.*

Papico.

PApicolæ qvondam magnum coluere miſelli
Chriſtophorum, Chriſtum per mare qvod tulerit.
Qvanta ſuperſtitio! qvæ noctis fabula cœcæ!
Sed valeat falſæ Relligionis opus.
Applaudunt potius TIBI nunc, *Vir Summe, Scholarcha!*
Omnes in ſtudiis, qvos Schola noſtra fovet.
Scilicet illuxit Lumen, qvô tota per urbem
Exultant noſtram Templa, Lycéa, Forum.
*Ore ferens Chriſtum non ſolum; Pectore monſtras,*
*Devotas animas corde manere DEO*
*Affixas;* Dehinc concinnè per tria membra
Qvæ *moveant, doceant promoveantq́; fidem.*
Fac, ô Servator! careant ne pondere verba,
Perſpicuè textus enucleanda data.
*Eccleſiæ, Præſul, claræ vivas domuiq́;*
*Ex cordis fundo fundit id usq́; Cliens!*

Georg: Gottlob Grundigius,
S.S. Theol. Cult. p. t. Alumn. Reg.

*Vid. Camer. Embl. I. 2. p. m. 4.* Ἑρμείαν βρεχέειν δάφνην Φοιβήϊον ἔργον
Φασὶν ποιηταὶ ἡγεμόνες σοφίης.
Εἰ δὲ, ΜΕΓΑ ΣΧΡΑΔΗΡΕ ἐοῦ κλέος ὕψι ποτᾶται,
Μήτιν σου γλυκερὰν ὄμμασι λεύσσω ἐμοῖς,
Ἡμετέρων λεύσσω μουσάων σ' ὄρχαμον αἰεὶ
Ἐννεσίαις ἡμᾶς πευκαλίμῃσι βρέχειν.
*Eccl. 39, 29.* Τοὶ γὰρ ἐπιῤῥεύσει σε καθὼς ποταμοῖο ῥέεθρα
Καί σε κατακλύσει σφόδρα θεοῖο χάρις.

*Ex obſeqvii religione & animi ſanctitate ſolenne anniverſarium Antiſtitis noſtri nomini conſecratum celebrat ejusdem cliens obſeqventiſſ.*

Samuel Theodor. Schmid/Dreſd.

*SIc prodeſt votis Jovam placâſſe; SCHRADERUS*
*Numine felici nomina feſta colit.*
*Nimirum noſtras placida DEUS imbibit aure,*
*Atqve iterum pondus juſſit habere preces,*
*Qvas pro flore Viri libavimus atqve ſalute,*
*Cùm ſacra CHRISTOPHORO fulſit ab axe dies.*
*Ergo tanta precum cum vis ſiet atq́; poteſtas,*
*Ut valeant ſummi flectere corda DEI;*

*Has*

*Has igitur rurſum depromo pectore fido,*
*Fac voti damnas ſim bone Chriſte mei.*
*Jova ſator rerum, qvi miti cuncta gubernas*
*Imperio, ſupplex Te prece ſollicito:*
*Fac ſit chara Tibi PATRONI vita ſalusq́,*
*Nominis ut celebret gaudia ſæpe ſui;*
*Ut longùm doceat nos, qvâ ratione modoqve*
*Pectora ſint firmum noſtra revincta DEO.*
*Illi crudeles diſtenta calumnia rictus*
*Nil noceat, claris ſæpe maligna viris;*
*Sed lætus, ſoſpes commiſſæ munia ſpartæ*
*Explicet, ut placido cuncta tenore fluant.*
*Hæc precor; inſuper ut roſeis aurora qvadrigis*
*Hunc nobis portet ſæpius axe diem!*

Johann: Gotthard Kühn/ Dreſd.

QVem pietas, qvem priſca fides, qvem candor honeſtat
SCHRADERUS ſoſpes, Numine dante, viget.
O vigeat porro, divi & meletemate verbi
Adducat Chriſti plurima corda gregi.

*Georg. Paul* Petſche/ *Torg.*

O angenehmer Tag! O Tag voll Freud und Wonne!
Da billig unſre Schul auch ihren Wunſch erreicht/
Weil nunmehr angelangt die Gnaden-volle Sonne/
Und Ihm/ O theurer Mann! ein Freuden-Zeichen zeigt.
Drum bin ich auch parat mit Wünſchen zu erſcheinen/
Indem in heiſſer Gluth mein Hertz ſich auffwerts lenckt:
Er/ theurer Lehrer/ leb' viel Jahre mit den Seinen!
Von Ihme fliehe fern/ was Leib und Seele kränckt.
Hingegen ſey ſein Haupt mit vielen Glück umbkräntzet/
Es blüh' ſein werthes Hauß und wachſe immerdar!
Ach gieb/ O höchſter GOTT! daß dieſer Nahm' offt gläntzet:
Der theure Schrader leb' in Ruh noch lange Jahr!

Joh: Chriſtoph Petritz/ Ileburg. Miſn.

---

*QVas antè fidis, muneris in vicem,*
*Effuderamus pectoribus preces,*
*Numen Panomphæum precati*
*Thure pio, manibusq́ puris,*

*Audi-*

*Audivit æther. Salvus & integer*
*Soſpesq; vivit, nec lacrymabili*
*Occumbit umbrâ: ſed furentis*
*Deſpicit usq; Stygis tumultus*
*Præſul verendus, conſpicuum ſacræ*
*Sidus cathedræ, qvem penetralia*
*Templi ſtupeſcunt detonantem,*
*Euſebies columen, SCHRADERUS.*
*Cui docta vernat gratia Nectaris,*
*Flumenq; labris mellis Hymettii,*
*Qvem blanda morum, candidiq;*
*Ingenii decorat venuſtas.*
*Votum annuum nunc ſolvimus, & nova*
*En! nuncupamus non dubiâ fide,*
*Ut floreat Cedrorum ad inſtar*
*Litoris aggere conſitarum.*
*Tutare noſtrum CHRISTOPHORUM, DEUS,*
*Longosqve in annos robora ſuffice,*
*Sic non levi vento dediſſe*
*Irrita vota qveremur unqvam.*

* * *

WEnn dorten Aaron in ſeinem Pracht und Kleide/
So er durch Künſtlers Hand/ ja ſelbſt von GOTT empfieng/
Vor GOttes Majeſtät/ durch des Fürhanges Seide/
Ins Allerheiligſte zum Gnaden-Stule gieng:
So muſt er auf der Bruſt ein heilig Schildlein haben/
Wo Gold und Purpur ſchien/ wo ein gevierdtes Paar
Von Steinen durch die Kunſt des Meiſters eingegraben/
Wo helles Licht und Recht mit Fleiß gebildet war.
Dis war das Prieſter-Ampt/ wenn er des Volckes Nahmen
In GOttes Hütten trug/ und vor die Sünde bat/
Womit der HERR/ wann ſie GOTT rath zu fragen kamen/
Durch Antwort und Befehl den klaren Ausſpruch that.
Der Lehrer unſrer Stadt/ der Frommen höchſt Vergnügen/
Herr Schrader/ den die Zier und Prieſter-Schmuck bekräntzt/
Hat auch in ſeiner Bruſt das Ampt und Schildlein liegen/
Darinnen Licht und Recht mit voller Flamme gläntzt.
Wer kennt den Eyfer nicht/ wenn er den Stuhl betreten/
Und aller Laſter Brut friſch unter Augen geht?
Mit was vor Andachts-Brunſt ſchickt er den Geiſt zum Beten/
Wodurch Er vor den Riß des Vaterlandes ſteht?
Sucht iemand guten Rath/ den Wuſt und Laſt der Sünden
Und des Gewiſſens Angſt zur Erden nieder beugt;
Bey dieſem Licht und Recht kan er den Ausſchlag finden/
Der nach Beſchaffenheit bald Troſt/ bald Drohung zeigt.

Die

Die Prieſter wündſchten dort / nach Opffern und dem Lehren/
Dem gantzen Iſrael Heil/ Segen/ Fried und Ruh:
Hier wird der Prieſter ſelbſt die Wündſche von uns hören/
Der Höchſte ſpreche nur ſein kräfftig Ja dazu:
Es müſſe Recht und Licht auff dieſem Aron bleiben/
Es gebe Lehr und Thun den unverrückten Schein.
Sein theures Prieſterthum das müſſe wohl bekleiben/
Ja GOTT und auch der Welt ſtets angenehme ſeyn!

Johann Gottfried Zeißke/
*Elyſtro-werd. Miſn.*

*Pſal. XCII.*

HAud ſecus ac Libani florebit palma virentis,
Qvi cuſtos recti juſtitiæqve cluit.
Hinc & SCHRADERI, qvô non eſt juſtior alter,
Florebunt laudes, creſcet & alma Domus.

Johannes Chriſtophorus Kuhnius,
Wolckenſt. Miſn:

EFfluxit annus, cùm Tuo gratantibus
De nominali hæc voce contra redderes;
*Numen ſupremum (ſumma cui ſit gloria)*
*Clementer hunc qvidem ſerenô cernere*
*Dignatus eſt vultu diem: ſed maximè*
*Anceps feror, lux an mihi hæc refulſerit*
*Vivo amplius. Nam langvidas ſenex meas*
*Jam ſentio vires gravi tam munere.*
En! fulſit illa rurſus ex voto Tibi.
Qvapropter exulta, caputqve paululum
Attolle, contemplans adoream, Trias
Qvam ſancta plenâ cœlitus præſtat manu:
Dum ſoſpes ac firmus celebras hunc diem.
Sic namqve cultores ſuos Numen beat;
Ut floreant inſtar cedri, duro malo
Semper renitentes, ut oppreſsô emicat
Umbroſa ſurſum palma vertice. In Deo
Hinc gloriare Gloriâ Tuâ; lucrô
Appone, qvem Tibi diem dat providens.
Permitte cæterum Deo! Qvi Te (ſimul
Stravit malorum præliantes hactenus
Turbas) teget ſcutó ſuo benigniter.
Felix, dioptram dirigens ſuæ ſpei
Ad Anchoram ſalutis unicam Deum!

*Johannes Gottofredus Thomæ,*
*Peſtervicio-Miſnicus.*

---

*VIve SCHRADERE Deo fidusq; piusq; miniſter,*
*Vive etiam Patriæ conſilio atq; prece.*
*Vive & doctrinâ populo, Tibi vive valeq;,*
*Vive Pater domui, Vive Patrone mihi!*

Chriſtianus Erneſtus Gantzland,
Halâ-Saxo.

Ung VI 183

KD 18
KD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-680173-p0011-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-680173-p0012-6

# APPLAUSUS ONOMASTICI,

Qvos

Auſpicatiſſimo Nominali

# VIRI

…verendi, *Magnifici atqve*

*…Excellentiſſimi*

# …DN.

# …STOPHORI

# …RADERI,

…eleberrimi, & in Proto-Syne-

…toris graviſſimi, Eccleſiæ Dreſ-

…ris, vicinarumqve Ephori

…mi, Scholæ Crucianæ Inſpe-

…ctoris primarii,

*… Martiis M DCCI.*

…ium gratulationes ſolenniter celebrato

…evoto animi cultu

conſecrabant

*…ſis Præceptores, & nonnulli*

*…uditorii Cives ac Alumni.*

*DRESDÆ,*

Imprimebat JOHANNES RIDELIUS, Typograph. Aulic.